



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. F. Ioannis Nider Ordinis Prædicatorum Theologi De Reformatione Religiosorum Libri Tres**

**Nider, Johannes**

**Antverpiæ, 1611**

Qvidam admodum gratus plebi concionator (cuius & nomen & Ordinem silere placet) omnes qui diuæ Catharinae Senensis imagines sacris stigmatibus illustratas pingerent, aut haberent, anathematis reos ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45728)

P R O  
 D. CATHARINÆ  
 S E N E N S I S  
 I M A G I N I B V S

R. P. F. VINCENTII IUSTINIANI ANTISTII  
 Ordinis Prædicatorum Theologi

DISPUTATIO.

§. I.



EMINEM ignorare arbitror, beatum Raymundum Capuanum lib. 2. rerum à diua Catharina gestarum litteris mandasse, eam, cùm Pisis, ante Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi è Cruce pendentis imaginem, humiles ac supplices preces funderet, & quinque sanguineos radios ab illius vulneribus directò in suas manus latusque tendentes animaduerneret, confestimque ea res quorsum pergeret, & quantum sibi splendoris & gloriæ inter mortales allatura esset intellexisset,

Cc 2.

sum-



summa eaque sanctissima cordis demissione, pioque affectu postulasse, ne vulnerum in suo corpore signa apparent: statimque radios, qui antea cruenti videbantur, in fulgorē verfos, illas eius corporis partes transfixisse. Et quidem cum Raymundus, ut eximia sanctitate præditus, à cælorum Regina diuæ Catharinæ cordis conscientiaque iudex datus sit, & illi ita charus extiterit, ut ad cælestis vitæ gaudia euolans, protinus eum inuiserit (quemadmodum in publicis canonizationis eiusdem Catharinæ litteris recitatur) profectò fides tanto patri haberi debet: præsertim cum Pius II. eximia virtute & integritate Pótifex in Horariis precibus, quas in ipsius Virginis laudem nobis dictauit, id ipsum his verbis enarret:

*Quem laet virtus, facinusq; clarum,  
Quo nequit dici sanctius per orbem?  
Vulnerum formam miserata Christi,  
Exprimis ipsa.*

In quodam etiam elogio, quo idem Pontifex quadraginta sex versibus hanc Virginem exornauit, sic loquitur:

*Pane refecta sacro, caelesti pane salutis,  
Illa crucem memori portans sub pectore  
semper,  
Stigmata passa fuit, dictu mirabile,  
Christi.*

Duo-



Duobus his grauissimis testibus, qui nulla exceptione eleuari poterant, cum fidem à nemine abrogandam esse, nostri pro certo haberent, eam, cum primùm stas cærimoniis in Diuas à Pio I I. relata fuit, stigmatibus ornatam depinxerunt. Grauiter id molesteq; tulerunt ij qui multum è sancti Francisci gloria detrahi existimabant, si Catharina stigmatibus insignita in templis collocaretur. Nam quod ipsi tãquam proprium & singulare diuo Francisco collatum beneficium prædicauerant, communicari aliis minimè ferendum putabant. Sed quamuis angerentur animo, Pij tamen qui ad Ecclesiæ clauum sedebat metu, impatientiam intra viscera continebant. At illo eiusque successore Paulo I I. ex hac luce subtractis, Sixtum IV. (qui è sacra Franciscanorum societate fuerat) adeunt, quoddamque eius decretum impetrant, in quo anathemati subiiciebat, omnes qui imagines illas infra annum minimè delerent, aut in posterum absque Apostolicæ Sedis facultate, Diuorum quemquam, præter Franciscum, cum stigmatibus depingerent, vel illis ornatú fuisse scriberent, aut in concione affirmarent.

Eo decreto abutens quidam Turiasonensium declamator, ceteroqui pius, sed ignorans quanta esset veteris consuetudinis vis



ad legum feueritatem mitigandam, extinctum olim bellum instaurauit: & quasi iam omnia auditorum peccata suis concionibus emendasset, nihilque aliud quod ad Dei sanctissimi obsequium pertineret, suadendum restaret; totam Dicecesim, in qua passim huiuscemodi imagines reperiiebantur, commouit, & populares suis colloquiis concionibusque turbauit, eos à piorum contubernio exclusos denuntians. Neque eos solum, sed cunctos qui historiam sanctæ Catharinæ à Patre Antonio à Pegna olim Hispanæ conscriptam, & nuper Salmanticæ Hispaniæ excusam, apud se rerinerent: quoniam id ipsum, quod beatus Raymundus de inclyta illa Virgine asseruerat, referret. Cumque vulgi assensu, & populi approbatione inter illustres concionatores haberetur, facile, quod optabat, auditoribus, tametsi Catharinæ studiosissimis, persuasit.

## §. II.

QUAMVIS autem optimè nouerim Ecclesiæ fortunas non in eo positas esse, utrum ne Franciscus solus, an Catharina quoque stigmata Christi receperit, neque pro hac illave parte tamquam de vita dimicandum putem: tamen quia ab antiqua honoris possessione Catharinam deturbare, absque